

459

457

463

453

468

448

408

358

Ende

Anfang

444

scilicet orationem prorupit: ecce Domine Deus, pater coelestis,
concepi unigenitum filium tuum, et nescio, quomodo in utero
meo apparuit; nunquam enim ego spiritum et animam donavi
ei, et vitam et membra ejus non ego ipsa compegi, sed tu
mundi creator formans hominis nativitatem, et qui omnium
invenisti originem, haec sine actione mea operatus es in me.
Sed et exitum filii tui de me ignoro. Totum ergo Domine
Deus tibi committo, fiat voluntas tua. Et hac dicta oratione
ecce nubes lucida obumbravit eam, ita, quod videri non
poterat, et (170 A) ad sublimissimum gradum divinae con-
templationis rapta jocundissime delectabatur. In qua delecta-
tione enixa est filium Dei, non solum sine sensu doloris, sed
cum sensu maximae dulcedinis, ut impleretur illud Esaiae
ultimo: antequam parturiret, peperit. Et sicut canit ecclesia:
Sicut sidus radium perfert Virgo filium, pari forma, num-
quam sidus radio, neque mater filio fit corrupta. Puer autem
ex virginali utero procedens nudus in terram decidit, et com-
munem aerem accepit, et primam vocem emisit, plorans,
Sap. 7. Unde Jeronymus ad Eustachium de virginitate suad-
enda: Christus Jesus novem mensibus in utero ut nascatur
exspectat, fastidio sustinet, cruentatus egreditur. Nec verum
creditur, quod in Alchorano Mahometi dicitur, quod puer Jesus
in puncto nativitatis suaee matrem allocutus sit, ut habetur
Lib. 2. C. 17. Nic. de Cusa, et quod amici Virginis eam
pro stupro correxerint, quam infans mox clarissimis verbis
excusavit, ut habet Alcoranus. Quae conficta mendacia
Machometi sunt. Ad hanc pueri vocem Virgo ad se rediit,
viditque infantem ante se vagientem, et se a gravitatione
absolutam intellexit se peperisse, et sine dolore et sine cor-
ruptione. Et mox ipsum, quem genuit, devotissime adoravit,
dicens: o Domine fili benevenisti de coelo in terram pro sal-
vatione hominum. Tu enim es desideratus omnibus gentibus.
Te adoro humiliter, quia creator meus; te deosculor suaviter,
quia filius meus; et inclinans se reverentissima humilitate
ad puerum deosculabatur pedes ejus, manus, caput et labia,
et manibus suis eum levans de terra in sinum posuit, infant-
ilibus membris, prout necesse erat, obsequium maternis officiis
exhibuit, et demum pannis eum involvit, et caetera. Lucae 2.

